Q. D. B. V.

TRIGAM PHÆNOMENORUM MULIEBRIUM,

In Almâ Eberhardinâ,

Ex Decreto

Gratioſæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Profeſſore Medicinæ Ordinario,

Præceptore ſuo Venerando,

PRO LICENTIA

Summos in Medicinâ Honores legitimè capeſſendi,

Diſputationi Inaugurali ſubmittit

EBERHARDUS JACOBUS BÖHM,

Tubingenſis,

Ad diem Jun. hor. locq; ſol.

TUBINGÆ,

Literis JOH. CONRADI EITELII, Anno 1705.

34 35

Σ. Θ.

QVi de affectibus fœminarum diſputant, hanc communiùs inſtituti præmittunt rationem, quòd ii ſint tam multi, tam frequentes, ut omnem ferè morbum bis pati proverbio dicatur fœmina. Iiſdem excitatus cauſis Helmontius ſingulare patrocinium ſuſcepit hujus ſexûs, tanquam ſingulariter Deo dilecti, id enim colligit ex impoſitâ tribulationum miſeriâ, ita oriundâ ex utero, & ex prærogativâ devotionis, ita uteri ergò conceſſâ, ut, quod eſt, propter uterum ſit mulier. Tranſeat hîc, quidquid in gynaceo vel pudor occulit, vel incuria negligit, ſuperſunt alia, quæ lucem ferunt, tanquam quibus vel quæri debeant cauſæ, vel quibuscum conferri poſſint medicorum hypotheſes, ex phyſiologiâ & ex pathologiâ. Parere, lactare, menſtruari, tales ſinguli ſunt actus muliebres prolixi, qui nimium importarent, ſi juxta omnem ſuum complexum hîc deberent tractari. Nos igitur occupabimur in ſpecialioribus indè ſelectis, noſtroq; tum nos credemus defunctos munere, cùm vel in cathedrâ veritatem defenderimus, vel meliora docti de cathedrâ deſcenderimus. Iuva Iehova!

I.

OBſervantur Puerperæ die tertio circa ipſam nuperi partûs horam obnoxiæ alterationi cuidam notabili, quæ facilè invaleſcat in horrorem, & turbationem quandam febrilem.

Circumſtantiæ potiores pro declarando hoc phænomeno poterunt eſſe ſequentes: Accidit tale quid fœminis

 quàm

quàm maximè poſt partum utique laborioſiorem, difficilem, ſed in & ab ipſo quoque partu naturali fundatur talis occaſio, & ſuppetunt caſus, tam ubi fuit facilis & expeditus, quàm ubi cum motibus turbulentis; e. g. quæ mox â partu è ſellâ lectum petens forti corripiebatur horrore, ea ipſa ſimili perſtricta fuit eâdem horâ diei tertii in lecto. At quandoquidem partus non ſemper acutè ſed & ægrè tardeque procedit, ſpecialius fuerit determinandum, cui nam tempori præcisè magis reſpondeat futurus ille paroxyſmus? Satis accuratè quidem cadit ille in ipſam excluſi nuper fœtûs horam non infrequenter: Aliàs tamen importare videtur quid diſcriminis provectior ætas & declinans annus ad retardandum in horas illum motum, & in contrariâ conſtitutione fieri ſolet interdum anticipatio. In reſpectu autem ad protractam parturitionem, ſuppetit in ſpecie exemplum fœminæ ægrè parturientis, à medio noctis ad decimam antemeridianam, cui ſignum quidem citius, ipſe horror tamen non venit ante horam decimam tertii.

Signum illud fuit ſudor, quo â partu ferè diffluxerat, per noctem prægreſſam emanens; at ab horrore tertii moleſtavit calor ſiccus, usque dum quinto ſpontaneus & largus iterum flueret ſudor, vice paroxyſmi. Quâ quidem occaſione huc referri poſſit alia, per puerperii ſeptimanas frequentius horrens, quæ id prædicebat ex ſicco calore, ſiccâque tuſsi, ſolebat enim ipſi ab horrore calor ferre ſudorem, & tuſſis ſputo fieri humida. Omninò partus uti poſt ſe trahit turbas tertio, ita etiam interdum habet motus prævios, actus quaſi præparatorios, tertio itidem die ante plenum eruptionis momentum obſervatos: ſuo hoc docuit exemplo fœmina, quæ per multas moleſtias terminum partûs proximè attigiſſe viſa, nocte quâdam alvum (quod negatum ipſi hactenus) facilis liberam ſolvit, matulam urinâ largiore implet, cum magno ſui levamine, ad diem hunc & ſequentem tolerabilem; atat ipſo tertio circa ſummum mane evigilat cum nixibus, & brevi parit féliciter.

Tempus medium inter partum & horrorem tertii aliquibus moleſtum quidem fuit variis illi ſtatui familiaribus ſymptomatibus, in ſpecie torminibus, aliis tamen pro conditione puerperali ſic ſatis quietum, adeò ut multas benè ſibi valere viſas fefellerit ille, apparenter non conſtanter, bonus ſtatus, cùm ſubitò vel occaſio-

nedatâ circa illud tempus extra lectum conſtitutæ, occupatæ, & expoſitæ injuriis externis, vel etiam aliæ, absque tali prophaſi, in lecto nil minus expectantes fuerint turbatæ vel concuſſæ; ſed harum poſteriorum melior ſolet eſſe conditio. Quanquam ergò in genere puerperæ horroribus ſint obnoxiæ, idque per ſuas ſeptimanas citius aut tardius, levius vel gravius, ut paucæ ſint inter nos, quæ omnem talem alterationem effugiant, atque adeò vagum etiam eſſe poſſit hoc Phænomenon, cadens in dies alios, nec ita ſimpliciter reſtringendum ad impares, ipſo tamen tertio, & reſpondentibus diebus, id nec paucis nec raró contingere ita docemur ab experientiâ, ut mereatur hîc attendi peculiariter, tanquam aliquid ex frequenter contingentibus. Rarum fuit id obſervare factum die quarto, (ſed cui ſucceſſit paroxyſmus alter die abhinc tertio;) ſingularius in aliâ die ſeptimo, & quidem cum repetitione per ſeptenarios, quæ moleſtiarum quidem variarum per reliquos dies non expers, horrores tamen ſuſtinuit non niſi diebus à partu ſeptimo, decimo quarto, &c. tanquam in totum turbulentis, magis ac ulli alii dierum.

Paroxyſmus talis omninò eſt febrilis, & infert cum & ab inexpectato frigore dolores varios, capitis, artuum, inquietudines, vapores, vigilias, ſitim, anorexiam, æſtum, ad confuſionem conceptuum mentis interdum; Eſt vel unus horror, quem ſuus excipit calor, vel multæ per diem calori intercurrunt minores horripilationes. Velut à tali dejectione aliam faciem acquirunt res puerperarum, nam noviter indè languent dejectæ, ita fata quæ ſequuntur abhinc variant; Quibus in bonum vergunt, hæ die quinto, ſeptimo, leviores patiuntur alterationes, facilè & leviter ſudant, experiuntur beneficium alui, dies intermedios degunt placidiores, benè citò ſe recolligunt: Eò meliores paroxyſmi, quò magis ordinati. Fuit cui ab unico paroxyſmo efflorescentibus puſtulis obſeſſa fuerunt oris labia; alia non lactans, cui demùm à tertio paroxyſmo erupit illa exulceratio, cui verò ſequens mammis incuſſit horrorem; item alia, cui per talem paroxyſmum, cùm quereretur de ſenſu quaſi acicularum pungentium per corpus, eruperunt veſiculæ miliaceæ, huic quidem tum de cætero benignæ & innoxiæ, aliis enim & alibi malè audiunt. Reduxeris ergò tranſitoriam quandam puerperarum alterationem ad ephemeras; quæ ordina-

 rius

tius repetunt cum intermiſſione dixeris analogas tertianis; continentes acutiores recenſueris inter ſymptomaticas, eryſipelaceas. Addendo illud triſte: puerperas ut acutis febribus graviter affligi, ſic epidemiis communiter exponi, eventu ſæpè funeſto; Cadit in eas maligna lues nimis de facili.

Quibus ita ſe habentibus uſum indè practicum non difficulter eruet tam puerpera, quàm medicus; Illa quidem ſuſpecta cautè vitando tempora, continendo ſe ſuos intra terminos, nec erroribus advocando paroxyſmum, nec triumphum canendo ante victoriam: Hic autem informando, monendo, dehortando curæ fideique ſuæ commiſſas, prophylacticè præoccupando paroxyſmos, captando occaſionem conceſſam per intervalla quietis, utero, mammis & in totum reliqui conditioni corporis proſpiciendo, gnarus moris, obſervator ordinis, attentus quò tendat, fidelis adeò naturæ ſive miniſter ſive patronus.

Ab hâc hiſtoricâ noſtri argumenti propoſitione progrediamur circumſpicientes, quid pro ulteriore ipſius declaratione ſuppetat aliundè. *Franc. Valleſius* comm. in libr. 4. Hippocr. de morb. popul. *cùm febris ſupervenit partui*, *computatio*, ſcribit, *à partu eſſe debet, cum partus febri, à febre.* Item *Zacutus Luſitanus* med. princ. hiſt. lib. 6. ad quæſtionem, *utrum in fæminis, quæ pepererunt, & ſupervenit febris, computatio dierum criticorum ſit facienda ab horâ partûs, an ab horâ febris?* reſpondet diſtinguendo inter partum naturalem & præternaturalem, quorum ille non ſolùm tempeſtivè fiat & debito modo, ſed & cum levibus ſymptomatibus, & in quo purgatio non excedit, neque deficit, atque adeò ubi febris, ſi quæ ſuperveniat, non ſymptoma partûs, ſed morbus per ſe eſt, tum non ab hoc partu, ſed à febre dies decretorios eſſe numerandos; Aliâs autem à partu, non à febre, ſiquidem ille fuerit præternaturalis, & habuerit recenſitis contraria. Noſtrum thema non excludit mutationes ſequentes & reſpondentes tempori commiſſorum errorum, aut prægreſſarum injuriarum, in ipſo tamen etiam partu fundat occaſionem frequentem febri futuræ, clariori vel obſcuriori, atque adeò numerando dies prætendit ſubeſſe ordinem, quo ſe reſpiciant & excipiant paroxyſmi partûs & febris, τὸ parturire & febrire, per dies impares, & criticos.

Sunt apud *Zacutum* plura, quæ huc ſpectant: Eſt ibi, qui cum criſi partum confert & comparat, quod quanquam Ipſi non usque quaque placeat, nullatenus tamen eſt prætermittendum. Fit enim utique partus tempore ſibi præſcripto, ubi certum terminum attigerit mater & fœtus cientur utrinque ad motus modo quodam decretorio, acuto, ad excluſionem & eruptionem, cui deſtinantur & fœtus & ſecundinæ & purgamenta; hæc naturæ criticæ videntur eſſe omnia, uti quidem jam olim *Hippocrates* libro 6. epid. ſect. quint. §. quart. in genere, *quæ mulierum ſunt propria evacuationes, recenſuit inter illas, quas quia expediunt facit natura, inerudita quidem, & utut nil didicerit*; Idem lib. 3. prognoſt. incipit de febribus & de morborum circuitionibus, at mox ſubjungit: *Pari modo & mulieribus judicationes fiunt à partu.* *Galenus* etiam de ſympt. caus. libr. 2. ubi facultatis ſuæ expultricis actionem per exempla notiora declarat, ut viam ſternat ad probandos febriles motus expulſorios, præter vomitum, tuſſim, ſternutationem, inprimis partûs & abortûs facit mentionem: *Uteri*, ſcribit, *qui tum fœtûs gravitatem, tum ſui diſtractionem, novem menſibus pertulerunt, atq; ita adunguem toto hoc tempore connivente ore fuerunt, ut ne ſtyli quidem mucronem reciperent, ij abſoluto in ipſis fœtu ad ejus expulſionem ſe comparant, diversâ omninò conſtitutione affectûs: Etenim collum eorum, quod prius ſe conſtrinxerat, tum aperitur, ut facilis fœtui praſtetur exitus, tunica autem, quæ quàm maximè prius fuerant diſtenta, undiq; contrahuntur, ac fœtum extrudunt; Sanè eadem virtus, quæ ſic de fœtu eſt ſolicita, ut novem menſium ſpatio ejus ſuſtineat pondus, atq; ut abſolutus tutò emittatur providet, ſi circa tertium quartumve, aut alium menſem, fœtus eſt corruptus, ſtatim eum ejicit, tum quoq; ſimiliter collum adaperiens, ſicuti, cùm pariendi tempus inſtabat, aperuit. Quippe præfinitum illi claudendi ſe aperiendiq; tempus eſt, non certi alicujus temporis circuitus, ſed ipſius usûs occaſio.* Utique, ſed ita, ut pro naturæ conſtantiâ uſus ille cadat in certos temporum circuitus, ut ſibi magis ordinariè correſpondeant occaſio & actus, & ſeſe reſpiciant etiam in caſibus, qui omninò contingunt præternaturam, vel illius fœminæ exemplo, cujus aborturire in principio toties fuit febrire, deſcriptæ in *ENC. D. 3. A. 7. O. 33.*

His

His affine eſt illud *Hippocratis* ex Epid.l.7: *Quibus prægnantibus ex caſu aut convulſione, aut plagâ dolores moderatè fiunt, in tribus diebus manifeſtè conſtat, an fœtum corrumpent*; i. e. abortu vel partu intempeſtivo excludent. Quo ipſo innuitur tale infortunium contingere ab injuriis externis, cum doloribus graviſſimis ſtatim, brevi: Intra dies autem demùm tres palàm fieri, ſi dolores fiant moderatiùs, an abortum ſint facturæ, quod quædam talium faciunt, quædam ſecus, atque adeò ante id tempus res non eſſe in tuto; ſi verò tertia dies nullas dolorum exacerbationes incipit afferre, ſed potius afferat indolentiam, abortus non fiet, ſed fœtus ſervabitur, commentante in hunc modum *Valleſio*. Quemadmodum ergò noſtro themati ſubeſt reſpectus paroxyſmi, tanquam ſubſequentis ad prægreſſum partum, ſic in aphoriſmo hippocratico ſimilis eſt reſpectus abortûs tanquam ſubſequentis ad prægreſſam occaſionem violentam, certo itidem tempore, die ſc. tertio.

Poſſet illa tertii proprietas vel efficacia extendi porrò latius ultra ſequiorem utique ſexum, (qualiter e. g. meminimus incepiſſe luere culpam virum horrore cum pleuritide ſpuriâ præcisè illâ diei parte, quâ inter pocula ante triduum irâ fuerat commotus, &c.) ſed id modò ſeponimus; Non poſſumus tamen non huc adducere illud etiam *Hippocratis* notabile & generale ex libro de fracturis, pro fundandâ naturæ analogiâ in ſuis motibus, etiam turbulentis, ubi vetat membra fracta die tertio comprimi vel diſtendi, hocque in re medicâ inprimis eſſe advertendum monet: *Tertio namq; & quarto die duriter & aſperè vulnera minimè tractari debent, & ut uno verbo complectar iis diebus omni ſpecilli demiſſione, aliisq; quibus vulnera irritantur, abſtinendum. In totum enim plerúq; vulnera tertio ac quarto die recrudeſcere conſueverunt, tum quæ ad inflammationem & ſordes tendunt, tum quæ ad febres deveniunt. Atq; hoc præceptum, ſi quod aliud, magnum eſt operæ pretium attendere. Quid enim eſt præcipui in re medicâ usûs, non in ulceribus modò, verum etiam multis in aliis morbis, cum quo communionem non habeat. Niſi ſi quis alios quoq; morbos ulcera eſſe dixerit. Quæ ſanè oratio habet probabilitatem.* Addit hinc, cùm ſeptem dies præterierint, maximè accommodatum inflammationi tempus præteriiſſe, quod paulo inferius repetit, iterumque vetat, die tertio, quarto, quinto adhibere motionem & extenſionem fractorum cum vul-

nere,

nere, *nullam tum*, ſcribit, *moleſtiam exhibere oportet, ſed operam dare*, ut *ulcus quàm minimè inflammatione tentetur, maximeq́ ad pus perveniat.* Ulcerationem iſtam hippocraticam *Galenus* libro *de* inæquali intemperie explicat per ſolutionē continui, ſpeciei ſubſtituendo genus, ad quam accedat tàm calor quàm frigus in ſummo gradu proximè, ille ſegregando, hoc ſtipando. His adde illud *Zacuti* ex libro citato: *In vulneribus ſine prætensâ humorum putredine evidentius numerari dies & periodos, quàm in febribus humoralibus.*

Hinc occaſiones motuum horridorum apud puerperas concipimus primò ab utero. Hiſtoriam *mulieris lariſſæ* ex l. 5. epid. cui ſub finem graviditatis hæmorrhagia uteri acciderat, *Valleſius* ita declarat, ut velit ipſi ab undecimâ ad quatuordecimam copioſius fluxiſſe ſanguinem, hâc excidiſſe puerum mortuum, tertiâ autem die eâdem noctis horâ excidiſſe ſecundinas, & alba excrementa, at inſumtis à partu infelici quinque diebus apprehendiſſe ipſam febrem; Et in expoſitione *alterius apud pantimedem* lib. 3. Idem ita: *Febres acutæ in recens enixis, & iys quæ fœtum corrumpunt, valdè periculoſæ ſunt, non enim fiunt iys, quæ ritè purgantur, ſed quibus ſupprimuntur evacuationes. Id verò fit locis uteri, à quibus evulſæ ſunt ſecundinæ, ob rupturas inflammatis, & proindè obſtructis, atq́ materiâ, alioqui malignâ, multum redundante & inculcatâ, neq́ potente exire. Atqui etſi poſſit aliter, citra inflammationes inquam, fieri, tn. acuta febris in enixâ rarò aliter fit, & ita ſemper fieri putare oportet, quia huc curationem dirigens nunquam errabis.* Hinc ex unâ parte retentorum mordentem qualitatem, & ex alterâ ponit acrem uteri ſenſum. Sic novarum commotionum cauſa occaſionalis eſſet ſecundum partem ſenſibiliorem denudatam, à quâ ſeceſſit placenta; ſecundum omne heterogeneum in ipſo etiam cavo concluſum & detentum; ſecundum cruorem & ſaniem inde aliquandiu exſudaturam; velut ad tormina quoq; poſt partum citantur toties lochia, niſi fortè potior vis ſpaſmorum ea ſupprimat.

Utero reſpondent mammæ, ſanguini inde fluxuro hinc ſugendum lac, & febri lochiali altera lactea. Vel igitur obſervantur horrores à mam̃is, aut ad mam̃as, hoc enim & ſenſus patientium diſtinguit, & eryſipelas mam̃arum rubor, dolor ſignat, vel ſalvis nec de cætero afflictis mammis turbatio febrilis lac ſurripit, aut minuit. Agitur autem primis puerperii diebus hîc maximè de adaptando ad ſuum officium organo, de huc determinandâ lactis materiâ, & facilis motibus datur occaſio,

tam per intumeſcentiam à novâ congeſtione, quàm per ſolicitationem inſolitam vel deſuetam à ſuctione infantis, quâ primitus toties cieri ſolent in turbas quæ in imo ſunt circa uterum. Huc retuleris illud *Baglivi* de mammis, ſc. dolentibus eis poſt partum lactis causâ, lochia ſupprimi, remittente mam̃arum dolore, lochia reſtitui libertati; Eſt hoc inter exempla criſpaturæ vel oſcillationis ſpasmodicæ, translatæ à parte in alteram.

Denique ſanguini, lacti, pro concitandis turbis febrilibus apud *Zacutum* ſuccedunt reliqui humores; à partu enim naturali non niſi ex errore, à præternaturali autem etiam citra errorem, ſcil. in uſu rerum non-naturalium com̃iſſum, ſupervenire febrem, ob validam humorum agitationem, qui exactè nequeant expurgari; hoc ibi determinatur pro famosâ humorum diverſitate, ſc. pituitoſi, bilioſi, melancholici ad ſupervenientem febrem die vel ſecundo vel tertio vel quarto. Utiq; conſiderandum eſt corpus muliebre, ut per novem menſes gravatum non ſolo fœtu, ſed & collectis impuritatibus, item ut in partu plus minusve afflictum, com̃otum, collaborans; Pro exemplo poſſint eſſe, quibus ſolenne eſt, in & à partu bilem vomere. Prior reſpectus materiam irritantem, alter ipſum agens, memor ſuorum motuum, atq; adeò pronum in actus conſimiles exhibet. Litem quidem de vexatâ humorum trigâ huc non trahem⁹, interim tamen intelligi poteſt illa heterogenei commotio tam de maſsâ ſanguineâ talibus impuritatibus & cacochymiis inquinatâ, quam de cruditatibus extra ipſam circa primas vias hærentibus, quatenus contigerit eas ſub labore turbulenti partûs excitari & turbari fortiùs, atque ita conſtituere ſtimulum aut fermentum, citius aut tardius pro tenuitate vel craſſitie, paucitate vel copiâ, maturandum, excutiendum, ſive turbas daturum, prout à naturâ fuerit toleratum brevius vel diutius. Et hæ partes cum utero, & humorum illa agitatio cum lactis & ſanguinis vitiis, utiq; poſſunt complicari. *Valleſius* in hiſtoriâ *uxoris dromeadæ* lib. 1. epid. cui rigor fuerat ſecundo & tertio, quæ ſeptimo die à partu, ſexto ab acutâ febre obiit, proponit palindromen humorum ab utero ad hypochondria, ab his ad caput lethalem; Et pro rigoribus citra ullum ordinem per totum morbum puerperæ, *quæ decumbebat in foro mendaciorum*, mortuæ decimâ quartâ, conſenſionem oris ventriculi accuſat, ferri eò excrementa colligit ex cardialgiâ, nauſeâ, vomitibus, ſingultu, atq; adeò hanc partem inculcat,

tam-

tanquam quæ cùm mordetur omnium maximè ſoleat facere rigores.

Et hæ ſunt cauſæ, quæ puerperis ciere poſſint febres, his pro causa paroxyſmi ordinati applicari poteſt in genere mutuus aſpectus archei & fomitis, cauſæ agentis & occaſionalis, ubicunq; ex dictis locis ſtatuatur centrum telæ, quod occupans aranea fibras undique ad ſe trahat horridè, inſtituatque nixus ſpasmodicè reflexivos humorum ad intra. Specialior tertii & criticorum dierum ratio ad inchoandas & judicandas turbas, pars eſt difficultatis illius ampliſſimæ, quæ & febribus & menſibus, geſtationi & purgationi, &c. communis eſt, utpote quibus omnibus ſubeſt obſervantia numeri. Ubi quidem valere poſſit illa *Zacuti* theſis, *nec in aſtris, nec in numeris, nec humorum motu, ſed in natura vi expultrice fundari criſin*, & hinc quidquid ad criſin ſpectat, ducit aut tendit; modò illa huic non opponeret, ſed conjungeret, imò ſubordinanda ſubordinaret.

I I.

Obſervantur Lactantes, ubi vegetum & cupidum infantem mammæ admovent, qui eam apprehendat alacris, & ſugendo trahat fortiter, effundere brevi pòſt ex alterâ mammâ liberâ & nonſollicitatâ lac radiatim, ſive velut ſponte ſuâ per papillæ obſcura foramina ejaculari lac radio gracili non interrupto, nec per ſaltus, ſed æquali; id quod continuat aliquandiu, ita ut exhibeat fontem, qui per duas, tres, plures pauciores vé fiſtulas, ſed eas benè ſubtiles & tenui filo, jugiter emittit ſuum liquorem.

Item, cùm retrahitur ab illâ mammâ infans, quam modò ſugere cœperat, etiam hæc, poſtquam vim trahentis jam non ampliùs ſuſtinet, tamen continuato motu pergit exhibere fluxum iſtum lacteum radioſum; conſpicui tum radii exiliunt quaſi capillares, donec ſenſim remittant: Paucis, fluxus in utroq; phænomeno obſervatur conſimilis.

Interim dum ſalitè ſuis fontibus lac, ſubindè tamen delabuntur ſimul guttulæ: Durat talis guttarum deſtillatio, etiam poſtquam radiorum vis elanguit. Sic autem lactans unâ atque eâdem operâ hinc ſatiat infantem, illinc lac colligit ſuperfluum, undè ſi lubet butyrum pares & caſeum, tanta eſt ejus ubertas, ſi ſana fuerit ipſa, vegeta & plena, & cætera ritè ſe habeant; quàm viget enim lactanti appetitus, quàm ſapit cibus & potus!

Poſtquàm attractio in genere cum ſuctione ſuâ ſpecie reducta fuit ad pulſionem,&, ultra finale illud, ſc. metum vacui, data fuit cauſa movens, fundata in athmoſphæræ pondere, omnibus incumbente, omnia premente, ab illo etiam tempore idem motus & vis eadem transferri debuit ad lac ducendum ex mammâ ad infantem, motus hic non tam audit ſuctio, quàm preſſio, nec tàm infans trahit lac, quàm pulſum aliunde ſuſcipit. Cauſa movens perhibetur ille ipſe aër, qui mammas ambit & urget, ſed non ad effectum fluxûs, niſi id fiat inæqualiter; At verò dum aër, qui appellebat ad papillam, vel per vitrum ita dictum ſuctoriu , vel per os infantis in thoracem inſpirando dilatatum expanſus debilitatur, eamq; ita minus urget, alter integrâ vi reliquæ mam̃æ incumbens circumcirca premendo ſpongiam lacte turgidam exprimit.

Ultra hunc aërem externum moventis rationem etiam ſuſtinet alter internus, mammæ velut intertextus, ſive inibi concluſus & abſconditus, donec nanciſcatur occaſionem ſe manifeſtandi & exſerendi vim ſuam; Paucis, dum rarior & debilior papillæ obverſatur aër, non modò externus viribus integris reliquum mam̃æ urget, ſed & qui in ſubſtantiâ & humoribus mammæ eſt internus aër, fortior iſto vitri ſuctorii, vel oris infantis, in hunc ipſum locum, ubi minor reſiſtentia, quia ipſe pertingere non poteſt, urget & pellit interjecta ſolida & fluida, quæ & quà cedere poſſunt, eâdem vi, quâ liquores quicunq; in vacuo expanduntur in bullas, & animalia horrendum in modum toto corpore inflantur, dum ſublato æquilibrio contra externum debiliorem prævalet elater interni. Eâdem vi & ratione tenditur, erigitur papilla intra vaſculum ſuctorium, quâ in cucurbitulam agitur cutis, & dum interius validè premitur totum compoſitum aſſurgens, etiam emiſſaria pororum & ductuum diſcluduntur & evadunt ampliora, uti quidem ad αὐτοψίαm provocat *Laur. Bellinus* de ſang. miſſ. in cute poſt remotionem cucurbitularum perforatâ maximè conſpicuis foraminulis; Nec aliâ de causâ ibi ſenſim remittit lactis fluxus, niſi pergas ſugere, quàm quâ ſecedit tandem cucurbitula de cute, quia ſcilicet, ut Idem porrò, fuliginibus ſeu perſpiratione in hujus cavitatem evaporante, eamque ſenſim implente, fit, ut ſenſim majori momento urgeatur ſuppoſita cutis, quò usq; demum ipſa ab internis cucurbitulæ tantum prematur, quantum ab exterioribus per aërem ſupernitentem, unde ſubſidat oportet, & tota cutis jaceat in æquilibrio cum totâ cucurbitulâ.

Quid-

Quidquid de hoc principio videatur aliis, modò tranſeat; nos non probamus verba *Henr. Mori*, qui *partium athmoſphæræ aliarum in alias gravitantium pondus* vocat *enorme abſurdumq; commentum, in contumeliam divinæ providentiæ, ipſiusq; philoſophiæ ignominiam, natum*, ſed aſſerimus, eſſe vim magnam aëris, etiam in negotio lactationis. Pro reddendâ tamen ratione iſtorum phænomenorum hoc principium deprehenditur inſufficiens, quin potius eo ipſo, quo poſt reſtitutum æquilibrium inter utrumq; undiq; aërem, & ſub æquali jam preſſione, nihilominus adhuc ſaliunt radii, hinc utique arguitur ſubeſſe adhuc alia motûs causa, & confirmatur illa theſis anatomici *Verheyen*: *Lac non tantùm vi ſuctionis, ſed etiam propriâ vaſorum constrictione in os ſugentis exprimi.* Nec enim una excludit alteram, ſed aer premens & mamma ſtringens tendunt ad coṁunem effectum, ſtimulat ille hanc ad ſuum actum, continuat hæc aliquandiu, quod prior cœperat, ſed nova tamen & ulteriùs producta ſugentis vis plus usque extorquet, quàm mamma per ſe poſſet; Sic in maṁis concurrit triplicis officii reſpectus, & organon ibi obſervatur non modò ſecretorium, ſed & ſenſorium & ſuo modo motorium.

Secretio fit in glandulis mammarum chyloſæ portionis ex communi oceano maſſæ ſanguineæ huc determinatæ, nec enim monſtrantur aliæ viæ chyli ad maṁas, quàm per arterias, quas in lactantibus docent ampliari in canales inſignes. Unda ergò undam trudit, urgetur à corde ſanguis, à ſanguine lac. Hæc vis à tergo & maṁarum ſugendo coṁotarum interna ſtrictura requiritur ad id, ut ſaliant rivuli lactei, huic ut materiæ ubertas, & viarum libertas accedat, opus eſt. Sunt hæ viæ glandularum ductus excretorii, tubuli lactei, curioſè delineati à *Nuckio* in adenographiâ, quos obſervant anatomici etiam fungi munere receptaculi, lac & à glandulis recipiendo, & tempore intermiſſæ ſuctionis usque ad copioſam accumulationem aſſervando; item ne lac ſecretum involuntariè continuò exiret, notant anguſtiores fieri tubulos antequam papillam ingrediantur, imò adeò anguſtos, ubi per papillam curſum ſuum abſolvunt, ut vix minoris formæ ſetam admittant. Hîc ergò facilis quidem contingit occluſio arctior, præjudicans fluxui, ſed & poteſt dari hiatus nimius ampliorum ductuum. Equidem phænomenis ſuprà propoſitis videtur ſubeſſe non tam incontinentia & relaxatio fibrarum & ductuum, qualis in ſparganoſi quâdam præternaturali ſive jugi mammarum madore, & defluxu lactis nimis quàm facili, nimis quàm multo,

concipitur facultas retentrix debilitata,ſed in ipſis potiùs conſpicitur vigor facultatis expultricis. Sic organo ſecretorio, ut & ſit excretorium, ſenſu & motu quodam opus eſt. Nervi mammis cur dati ſint numeroſi, controvertitur; An, ut ſuppeditent ſpermaticam lactis materiam, an ut lactis ſecretionem dirigant? Interjectis glanduloſo contextui fibris, membranæ quæ ſuccingit carneæ,pro ſtatu ſui laxo vel ſtricto, opus eſt influxu communis animalis fluidi, quod per nervos è cerebro radians non modò remittit ab extremitatibus factas impreſſiones ad ſuum principium pro ſenſu, verùm etiam organa motûs inflando abbreviat,contrahit, vel quocunq; modo actuat, eoq; ipſo ſimul & ſanguinis per ſua vaſcula & liquoris in glandulâ ſecernendi perq; tubulos ducendi fluxum moderatur. Papillæ ſubſtantia non glanduloſa ſed fibroſa,tenerioris ſensûs, remitti & tendi potis, ſanguini quidem replenti debet ſuam erectionem, ſed nervoſo influxui, quod repletur.

Eſt né igitur aliquid ultra materiæ appulſum,& ultra diſtenſionem, quod experiri & ſentire poſſint in mammis mulieres? Erit hujus loci familiaris illa lactantibus loquendi formula, quâ tempore vel certo vel incerto, cum vel ſine causâ, fieri ſibi prætendunt talem in mammis ſenſum & motum,quem irruptionem utiq; lactis vocant,ſed ita ut doceant, ſubeſſe niſum, qui tum ipſas invitet ad lactandum; de quo proin actu quæſitæ reſponderunt, deſcribendo ipſum ut conatum etiam internum emittendi lac, quemq; fuerunt, quæ compararunt cum lenibus torminoſis nixibus. Hic actus non modò evaleſcit ad madorem,ſed & quàm maximè favet ſuctioni.

Ita enim cùm de moleſtâ per vitrum ſuctione quereretur fæmina,alia experta monuit,feliciusſucceſſurum negotium, ſi non inſtituatur extra tempus internæ illius commotionis,tum enim fluxum ægrius procedere, ſed ſi concurrat exſpectatum tempus interni actûs promotorii & externi ſolicitatorii, tum largius & facilius ita lac obtineri. Ubi nec illud contemnendum, quod ab obſtetrice nuper prætendi meminimus, cùm aſſereret certa puerpera,lac non tam liberè profluere,dum ſugeret ancilla, quàm dum infans proprius; ſc. averſum ibi eſſe, hîc autem inclinare & propendere maternum animum verſus ſuum fœtum: Nam multus eſt *Diemerbræck* in probandâ phantaſiæ efficaciâ in negotio lactationis.

Quod verò concernit illum conſenſum, quem mulieres irruptioni lactis ſubeſſe prætendunt inter matrem & fœtum, qui deſiderare vel e-

ulari tũ creditur, utiq; ex conſimili principio ſuboriri poteſt interna comotio, ſi diutius ſibi abeſſe videatur ſolicita mater, & ſuſpicetur ſui fœtûs indigentiam; de cætero autem, ſi conſuetudo regat tam mam̃am, quàm infantem, ubi ſc. ſtatas horas ſervare ſolent, tum utique urgentia mam̃æ & deſiderium hujus poſſunt coincidere, ſed etiam citra conſenſum, & ita, ut aliàs vel alibi non coincidant, ubi vel mater plus lactis habet, & infans minus appetitûs, vel hic inquietus plus velit, quàm illi ſuppetit.

Alius eſt conſenſus, quem citavimus, ille ſcil. mammarum inter ſe, nam ubertas eſt phænomenorum in lactantibus: Manendo hinc intra terminos lactationis, quanquam inter mam̃as nonnunquam intercedat diſcrimen non leve, ut e. g. una lac melius & largius præbeat, quàm altera, ut fons hujus exareſcat, dum fluit alterius, &c. nihilominus com̃uniter magis ſolicitatâ unâ mammâ commovetur & altera, ut ſubindè etiam lac ſuum ejiciat. Equidem, quæ pro fundando conſenſu inter partes adduci ſolent, hîc conveniunt pleraq; omnia, ſc. generis ſimilitudo, ſubſtantiæ cognatio, vicinia, & officii communio, ipſa etiam vaſa quanquam laterale diſcrimen habeant, notantur tamen inſtituere mutuas anaſtomoſes, ſcil. arteriarum cum arteriis, venarum cum venis, an & nervorum cum nervis, oppoſiti lateris.

Craſſo mechanico exemplo ſaliunt etiam radiatim emulſiones, lacti ſimiles, dum è contuſis ſeminibus per vim ſtricti lintei exprimuntur; remittunt & recurrunt ibi rivuli pro ratione liquidi contenti & potentiæ torquentis: Et matres ſtringendo digitis papillas interdum pro infantibus lac exprimunt, ſive velint irrorare concretas palpebras ſive alia id ratio requirat.

Analogon eſt phænomenon, ſed breve & tranſitorium, cùm tenuis claræ ſalivæ rivulus ex aperto ore ſubitò proſilit, & momento deſinit, nam jactus eſt præter opinionem & improviſus liquoris, qui aliàs ſtillando placidè in os fluit; ſc. quibus glandulæ & ductus ſalivales, modicum liquoris aſſervantes, vel intus linguâ ore patulo vel extus comprimuntur, rivuloſè ſic prodit juxta *Nuckium* ſaliva: Aliàs etiam nutrix motu muſculorum brachii & thoracis intempeſtivo fortè promovet lac largius in os ſugentis, quàm ſit ferendo infans, ut fiat facilis regurgitatio è faucibus.

III.

III.

Menſtruari obſervantur Fœminæ, non obſtante enormi hæmorrhagiâ uterinâ, quam cum abortu perpeſſæ fuerant quartâ retrò ſeptimanâ.

Tangemus iterum paucis neceſſarias quasdam circumſtantias: Solet frequentius contingere triſtis illa eruptio tum, cùm fœminæ ſibi videntur concepiſſe à tribus circiter menſibus, à decimâ in calculo ipſarum nec omnium nec ſemper accurato, ad duodecimam, & ultrà, ſeptimanam. Quanquam de difficultate abortum directè vel indirectè provocandi legi mereatur *O. 165 ENC. D. 2. A. 8.* facilis tamen proh! dolor apud alias eſt ea jactura. Occaſio datur modò per corporis aut animi motus, aliasvé communi hominum ſorti vix declinabiles cauſas, modò etiam citra notam culpam contingunt iſta infortunia; Videntur aliquæ certam induiſſe quaſi conſuetudinem, ad abortum vel partum intempeſtivum unum poſt alterum. Melior iſtarum conditio, quarum ſterile hactenus conjugium terminat abortus, & quæ abhinc denuò concipientes, fœtum gerunt ad ſuum terminum: An, velut à recens factâ menſtruâ evacuatione facilimè fit conceptio in plerisque? teſtimonio *Valleſii*. Hic equidem ex ſuo Hippocrate fœminas, quæ ſæpè concipiunt, ſed citò corrumpunt, ſi eodem tempore multoties, ſive totidem diebus ſemper, abortiant, ob exiguitatem naturalem uteri, & ſubſtantiam non benè dilatabilem, ſi verò incertis temporibus, ob intemperies extremas, humidam aut ſiccam, id pati l. 4. epid. prætendit; Habet tamen inſuper rationem commotionum ſanguinis menſtruarum, inquiens: *Contingunt abortus, cùm labores menſtruales: Iisdem enim circuitibus, quibus niſi utero gereret menſtruæ evacuationes fierent, natura (quæ naturalis motûs nunquam obliviſcitur) commovet corpora.* Et ad lib. 2. epid: *Ut in morbis acutiſſimis, qui plerunq; moventur imparibus, magnam vim habet tertius dies, ita in prægnatione breviſſimâ tertius menſis.* Talis ibi fuit Acheloi uxor, quæ ſanguinea, horrida, cum ſudoribus, conſueverat abortum facere, multitudine ſc. ſanguinis expultricem uteri facultatem provocante, aut acetabula disrumpente; quales tempeſtiva

venæ-

venæſectio ab abortu præſervaverit. Adde ſingulariter inhibitum abortum, habito reſpectu ad febrem, quem ex *E. N. C.* ſuprà citavimus.

Quantitas deperditi ſub abortu ſanguinis non ſolet quidem, nec poteſt libris menſurari, nam profunditur e. g. in lectum, in multis tn. caſibus eſt extraordinaria, quin horrenda, non tam quà longa, quam quà præceps, inſurgente naturâ toties ſub novis quaſi nixibus non ſolùm ad grumorum ſed & floridioris ſanguinis effuſionem, interim à principio ſubtorminoſo ex imo ventre aſcendunt vapores, cor in languoribus à tenui filo pendulum (quæ afflictarum muliercularum loquendi formula eſt) tentatur deliquiis, pulſus profundus, gracilis, debilis, aſphyxiæ proximus jacturæ ingentis teſtimonium præbet; Nec dum tamen completus eſt abortus, nondum excluſum, quod metuitur vel expectatur: Donec vel tandem prodeat maſſa globoſa, multo undique ſanguine ſpiſsè perfuſa, (niſi fortè ovum teſtâ carens repræſentet conceptus, relictâ intus placentulâ, in ſpurias *Ruyſchij* molas abiturâ.) quam cautius ſi rimeris curioſis oculis deprehendes continere in medio ſuo liquore rudimenta fœtûs tenelli pendula de filo umbilicali. Quanquam omninò ſuppetant fœminæ, ab enormi non ante abortum cohibendâ hæmorrhagiâ, relicto naturæ negotio, analepticis ſuſtentatæ, hactenus ſuperſtites, quæ & quales etiam ſubjectum propoſitionis noſtræ conſtituunt; Nihilominus tanta & talis interdum urget profuſio, ut coegiſſe videatur medicos ad tentandam chirurgicâ vel pharmacevticâ ope contentorum, fœtûs ut mortui, promotionem, excluſionem, quia divulsâ jam ab utero placentâ nec ſervari amplius fœtus, nec ſiſti commodius ſanguis, nec certius eripi periculo mater poſſit. Confer. obs. 89. cent. 3. mictomimematum *Welſchij*; Optandum, in tali etiam caſu locum haberet illud Ejusdem, de præſervatione miſerarum à triſti eventu ad partum felicem! Pergit autem: Nec proclive eſt conjecturâ certiori divulſionem placentæ uterinæ adſequi. Quin natura ipſa tantùm ſe ad partum aut abortum accingit. Nec facile ocytocia danda, niſi fluori etiam dolores conjungantur: Ne quis illo motu utatur perversè, ſc. abutatur præproperè & intempeſtivè in perniciem adhuc ſervandi fœtûs.

His non obſtantibus, utut etiam intervallum temporis quædam transegerint non benè ſed ſatis ægrè, ſunt tamen fœminæ, quibus ſtatâ quartâ ſeptimanâ redeuntes menſes ritè fluxiſſe fuerunt obſervati, quod videri poſſet mirum, cùm aliàs ſint adeò faciles ad emanendum, levi de causâ moras nectant, & cùm tanta nuper præceſſerit exhauſtio: Tamen intra breve hoc tempus favente adduc ætatis vigore jam iterum ſuperfluere vel turgere quid, probat conſtantia fluxûs; Pro diverſo ſcilicet reſpectu menſtruationis, vel propter individui conſervationem in exoneratione ſuperflui, vel propter individuorum multiplicationem in diſpoſitione ad concipiendum, non reſtrictâ hîc ad anni certa tempora, ſed ordinatâ & paratâ in omnem occaſionem, quippe quam procurat vel demonſtrat deſcenſus ille menſtruus.

Antequam rationes illæ ulterius applicentur, poterit obiter addi aliquid, de phænomenis quibusdam convenientibus: Non obſtante fluxu quibusdam fœminis naturaliter longiore & liberaliore menſtruantur tamen & hæ toties per annum & ſatis accuratè ſuo tempore. Huc illud *Heurnij*: *In mulieribus mulieroſiſſimis tempus menſtrualis profluvij eſſe dierum ſeptem, in mediocribus quatuor vel quinque, in viragine duorum.* Secundò, non obſtante lochiorum fluxu & inſtitutâ poſt partum lactatione, ex puerperis tamen hinc inde quædam quartâ completâ ſeptimanâ experiuntur vel novum fluxum, vel commotionem tamen notabilem; quod & ad primum hinc thema noſtrum referimus. Sunt tertiò, quæ contra communem ordinem (qui tandiu menſes excludit, quandiu lac ſugitur) ſimul tamen & lac fundunt & menſes ſuo tempore, imò quæ prætendunt, lac non aliàs largius, quàm dum menſtruantur. Eſt inter nos, quæ ſe aliquando ſimul lactaſſe, menſes fudiſſe, & utero geſſiſſe aſſerit; ſcil lactanti ſuperveniſſe & repetiiſſe menſes, donec & fœtus mammam faſtidiret, & lac deficeret, cùm in utero ſe proderet motus novi fœtûs: peperit utique tum virago viginti abindè ſeptimanis gemellos.

Fluxûs hujus menſtrui ratio num à quantitate vel qualitate potius ſanguinis debeat deduci, controvertitur. *Quemadmodum viro mutilato fluit ſanguis per alvum, ita mulieri infructiferæ neceſſe eſt ut fluat ſanguis ſuperfluus per uterum, qui alioqui fructi-*

fere

feræ cederet in nutricatum fœtûs: Ita quidem *Heurnius* ad aphor. 57. ſ. 5. *Menſtruam mulierum purgationem ſtatis periodis movet non ſanguinis exuperantia, (nam ſive paucus ſive multus eſt in muliere, menſibus tamen ſingulis, niſi quid naturæ ordinem interpellet, erumpit,) ſed vis orta qualitatis*: *Ita Fernelius*, ubi occupatur in reddendâ causâ circuitionum febrilium è principio communi. In app. *E.N.C. D. 3. A. 4. I. B. Wenckius* domeſticam ab utero accerſit cauſam, res huc redit: *Sanguis turgeſcens circa illas partes, ſcil. genitales, affectat exitum, undè ſenſim hauſit fermentum ſalax, ſeminales particulas, à quibus tandem agitur in fermentationem*; quali commotione febrili, aut à febri non multum differente, laborant pleræque fœminæ ſub tempus menſtrui profluvii. *Helmontio* tributum lunare ſolvitur in memoriam peccati, dirigitur à monarchali archeo uteri, non eſt à lunæ curſu, cum ejus tamen termino coincidit, ſive, cruor humanus debet renovari dierum ſpatio, quo luna per zodiacum ſingulos metitur curſus: *primò* igitur *officina cruoris plus ſanguinis efficit in muliere, quàm in viris, porrò hic ſuperfluus fit oneroſus, proin à naturâ ad venas uteri tanquam deſtinata emunctoria ſequeſtratur, fit autem ibi effetus, exuit vitalem ſpiritum, tandem excrementum audit & virus, quod vires in pejus acquirit eundo.* Utri harum hypotheſium convenientior ſit iſta menſtruatio poſt nuperum abortum? potiorne ſubſit abundantia ſanguinea, an turgentia ſeminalis? quid memorem ita faciat officii ſui archeum, quomodò unus actus alterum naturæ quâdam conſuetudine poſt ſe trahat ad loca non aliena, ſed vias calcatas toties, & ſi quid porrò hîc deſiderari poterit, reſervamus conflictui.

Nam hîc decreveramus ſubſiſtere, quia verò typographus ut expleret vacuum Corollaria petit, placuit illud *Baglivi* proponere ex *ſtatice aëris*, quod habet de ratione periodorum regularium in criticis, ſpem concipiens, illam patefactam iri ex eo, quòd juxta obſervationes viri in re nauticâ verſatiſſimi mutationes temporum cadant in aliquem ex alternis & imparibus diebus, à novilunio per quadraturam, &c. numerandis. Tale quid etiam animadvertit *Mariotte*, ſc. ventum, qui ſoleat eſſe borealis novâ lunâ, poſt 3, aut 4, dies fieri eurum, porrò auſtralem, & occidentalem, ac circa

lunam

lunam plenam iterum boream. Famoſus aliàs eſt ortus quartus tanquam certiſſimus autor apud *Virgilium*;&c. Verum enim verò quanquàm in genere mutationes aeris reſpondere aſpectibus omninò agnoſcamus,& arti artificum aberrationes aut imperfectiones non præjudicare prætendamus, negotium tamen illud criticum ne ſic quidem expeditum: Primò enim *B. Sturmius* obſervationem illam mariottianam in dubium vocat, prætendens circulum ventorum temporis incerti. Secundò difficile & intricatum eſt obſervare vel eruere, quid in athmoſphæræ turbis debeatur lunæ ſoli & per ſe? præterquàm enim, quòd potior ſit vis planetarum, quorum nunquam non intercurrunt aſpectus prætenditur inſuper, lunam ſe accomodare planetis, eorum energiam vel anticipando excitare, vel & abſolutam ex poſt facto revocare. Tertiò, quanquam venire poſſit febrilis commotio, cùm in vel à novilunio ipſe quaſi aer febrem patirur, aliæ tamen incipiunt extra lunæ phaſes, quieto etiam aere, & pergunt per dies impares,non reſpondentes illi regulæ. Et quid fiet de quartanâ, quæ alium dierum ordinem obſervat, ac movetur non niſi quinquies dierum ſpatio, quo tertiana ſepties? Nec etiam ſimul omnes in urbe febricitant & menſtruantur, aut moventur ut mare ad lunam vel in horizonte vel meridiano. Quartò, alius eſt motus lunæ à ſole ad ſolem interea promotum, cujus terminus cadit in diem 30.& alius à gradu zodiaci quocunq; ad eundem fixum, cui finis in 28. non completo: Ille maris æſtui ex parte præeſt, hic criſi & menſibus reſpondet, quadruplicato ſeptenario propior. Aſtrologi autem thema principio morbi conſtruentes abhinc præcisè numerant, non à proximâ lunæ phaſi,& prætendunt, quia lunæ motus non ſemper eſt æqualis, variare criticos motus & quadrata,oppoſitiones;cadere hæc quidem frequentius in 7.14.&c. interdum tamen in ſextum, octavi principium,in 13.in principium decimi quinti,&c. conſ. *Mœbium* & *Welſchium*, & conſ. exacerbationes ſtatas,anticipantes aut poſtponentes. Deniq; prætenſa *Baglivi* obſervatio vel ducit nos ad novum modò exemplum motuum periodicorum in macrocoſmo, quales miramur in microcosmo,vel rationem innuit in ſubordinatione hujus da illum, ut aſcendamus ita ab his motibus inferis ad ſuperos, ubi harmonia viget motuum & obſervantia numerorum pulcherrima,donec perveniamus ad eum, qui pondere, menſurâ & numero fecit omnia, cui

Soli DEO Gloria.